UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Sacrorvm Ritvvm Et Caeremoniarvm

Vinitor, Gerlacus

Coloniae Agrippinae, 1656

XVIII. De officio Subdiaconi in Missis solemnibus pro defunctis & in absolutione Defunctorum post eandem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9459

Visual Library

Gauantus part. tit. 6. n. 2. litt I.

Carem. Epiſ. lib. 1. c. 29.

§. 19 Si Miſſa Celebretur coram ſummo Pontifice Cardinali, & legato ſedis Apoſtolicæ, vel Patriarcha Archiepiſcopo, & Epiſcopo in eorum reſidentijs Subdiaconus librum Euangeliorum non defert oſculandum, Celebranti, ſed dictis Prælatis præſentibus, & aduertet ne librum Euangeliorum deferat alijs, quàm in hac Rubrica nominatis ſine facultate ſedis Apoſtolicæ; Principibus autem magnis ex tolerantia, non autem inferioribus Laicis: & illis alius liber deferendus eſt, non idem ipſe Celebrantis, qui proprium eo caſu ſemper oſculari debet librum.

Carem. Epiſ. lib. 1. 30.
Gauantus par 2 tit. 6. n. 2. litt. I.

§. 20. Si plures Prælati æquales intereſſent Miſſæ nulli dabitur oſculandus, nec etiam Celebranti ſi plures inæquales, tunc digniori tantùm ſemper tamen Subdiaconus ſiue Euangelium ſiue pacem deferens obſeruet, ne vllam priùs reuerentiam faciat, verſus Epiſcopum aut alios quoſcumque quàm librum, aut inſtrumentum pacis oſculandum præbuerit.

TITVLVS XVIII.

De officio Subdiaconi in Miſſa ſolemni pro Defunctis.

SVbdiaconus in Miſſa ſolemni pro Defunctis omnia accuratiſſimè obſeruabit, quæ capite præcedente dicta ſunt mutatis & omiſſis ijs quæ ſequuntur.

Rubr gener. Miſſ tit. 12. num. 2.
Gauantus p. 2. tit. 12 n. 2.

1. Cantata Epiſtola Celebrantis manum non oſculatur ſed ſtatim facta genuflexione in medio Altaris reponit librum, & librum transfert Celebrantis ad cornu Euangelij, vt aliàs.

Carem. Epiſ. lib. 2. cap. 11.
Caſtaldus praxi carem. lib. 1. ſect. 7. cap. 2.

2. Poſt decantatum Euangelium à Diacono, librum Celebranti oſculandum non præbet, ſed ſtatim clauſum Acolytho tradit.

Rubr. gener. Miſſ tit. 13. num. 2.

3. Ad offertorium Calicem cum Burſa, Corporali, & alijs eius ornamentis ex Credentia accipit & ad Altare defert, non tamen eius humeris velum imponitur, nec benedictionem aquæ in calicem fundendæ petit, ſed abſque benedictionē

ctione infundit; nec etiam patenam poſt Celebrantem tenet, & dum Celebrans thurificat oblata à ſiniſtris ipſius miniſtrat eleuando Planetæ eam partem, quæ eſt circa brachia Celebrantis, & in ablutione manuum, cum Diacono miniſtrat mappam, ad tergendas Celebrantis manus.

Gauantus p. 2. tit. 13. n. 8.

4. Poſt thurificationem oblatorum & Altaris ſtabit poſt Celebrantem iunctis manibus ſine velo, & ſine patena, nec, Celebrante dicente *Orate fratres*, ipſe, ſed Diaconus reſpondebit. *Suſcipiat Dominus, &c.*

Caſtaldus Praxi Car. lib. 1. sect. 7. cap. 2. Carem. Epiſ. lib. 1. 2. c. 11. Gauantus p. 2. T 8. n. 8. litt. ſ. & Tit. 12. num. 2. Litt. a.

5. Circa eleuationem genuflexus in cornu Epiſtolæ à Thuriferario accipit Thuribulum; hoſtiam & Calicem dum eleuantur ter incenſat nimirum cùm Celebrans adorat, eleuat, & deponit, & reddito thuribulo Thuriferario ſurgens ſtat iterum in loco ſuo poſt Diaconum.

6. Quando cum Celebrante dicit *Agnus Dei, &c.* non percutit pectus, nec à Diacono accipit pacem, ſed dum Celebrans dicit, *Domine non ſum dignus* profundè inclinatus pectus ſibi percutit, cæteraque vt in alijs Miſſis facit.

Caſtaldus loco citato.

7. Si facienda ſit abſolutio in fine Miſſæ, adiuuat Celebrantem ſtantem in cornu Epiſtolæ dum exuit Caſulam, quam reponit cum manipulo ſupra Altare à latere Euangelij, vel tradit Acolytho, & Celebrantem pluuiale induente cum Diacono iuuat atque Manipulum ſuum deponit.

Caſtaldus ibidem.

8. Deinde capit Crucem prope Altare, ſi fieri poteſt, ad cornu Epiſtolæ præparatam, quæ poſita eſt ibi antè initium Miſſæ, & cum Ceroferarijs accedit ad medium altaris ſine vlla reuerentia, ibique expectat Celebrantem. Mox ſine vlla reuerentia ad Lecticam procedit poſt Thuriferarium cum Cruce cuius imago ipſum Thuriferarium reſpiciat, cùm ad caput Lecticæ peruenerit, per latus Euangelij progreditur ad pedes

Gauantus part. 2. tit. 8. n. 4. litt. i.

eius,